



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

II. Secundum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DE COMPARATIONE TESTIMONIORUM,
 QUAE AD LIBRORUM SACRORUM PROBANDAM ΓΗΝΣΙΟΤΗΤΑ
 ET ANTIQUITATEM TOTA HAC PROPOSITIONE EX HIS DEPROMUNTUR.

I. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.*

II. *Secundum argumentum.*

I. NUNC antequam tollamus manum ex hac tabula, occurrendum est expo-
 sitioni cuidam, supra à nobis leviter jam delibata, hominum pertina-
 cium, quos tamen ab his disputationibus operis initio arcebamus. Queri enim possunt
 intutam esse & in alessidam viam, quam ad sacrorum Voluminum γηνοσίμωτα & an-
 tiquitatem demonstrandam sumus ingressi. Nam cum ad id recentiorum Scriptorum
 testimonia protulerimus, tanquam depromta ex eorum libris, quos antiquiores pro-
 bare volebamus, id nobis ut probatum fuisse, quod in quaestione positum erat; tam
 fieri quippe potuisse, ut quos antiquiores credidimus, ii è contrario testimonia à no-
 bis prolata exceperint ex iis, quos finximus recentiores; vel utrosque fortasse ead-
 dem exceperint testimonia ex praeis aliquibus Scriptoribus, quorum lucubrations diu-
 tinitate temporis consumatae sint. Huic querelae primum obnoxios non esse Scriptores
 aio, quorum nomina ac scripta in aliis memorantur. Exempli causa, quod Jeremiae
 Prophetiae nominatim meminerit Daniel, jure possum colligere vetustiore Daniele
 fuisse Prophetiam Jeremiae. Atqui complures è Scriptionibus sacris in hac classe po-
 nenda sunt. Aio praeterea, etiamsi id ita esse concedamus, ut volunt Adversarii, vix
 nobis inde deperire quicquam, vix illos quicquam inde lucrari: nam dum antiquita-
 tem detrahunt uni, alteri adstruunt: utrumlibet enim priorem ponant, hujus certe
 probata fuerit antiquitas. Velut cum dixit Origenes in epistola ad Africanum totam
 pericopen ex Isaia Michaeam transtulisse; si ex Michaeam translatum id potius dicere
 audeant Adversarii, hoc ipso Michaeam Prophetiam Isaiae Prophetia antiquiorem co-
 gentur agnoscere. Atque ita Michaeam antiquitatem & γηνοσίμωτα satis comprobata
 habebimus. Sin & Isaiaem & Michaeam ex vetustiore aliquo Propheta haec hausisse
 contendant, utris potius habenda fides est, an his nullo argumento, sola pertinacia
 pugnantibus, neque ullum commentitiae quam afferunt originis prophetiarum senten-
 tiarum indicium, notamve dantibus; an nobis res liquidas clarissimaque testimonia
 proponentibus? Arbitretur prudens & aequus Lector, & sententiam ferat. Deinde si
 id quod volunt obtinent Adversarii, & quas scriptiones antiquiores posuimus, recentio-
 res esse fateamur iis quas diximus posteriores, tum illidentur Chronologiae & Hi-
 storiae scopulis, quae has rerum & temporum perturbationes vindicabunt. Ad haec
 recordari debemus Librorum fere omnium Veteris Testamenti γηνοσίμωτα generatim
 nos probasse initio Propositionis hujus, iis argumentis, quae nullis Adversariorum
 responsionibus eludi queant. Totam itaque volumus rationum quas adhibuimus mo-
 lem spectari, quae est hujusmodi; ut cavillationes omnes facile contemnat.

II. Objici potest praeterea Libros sacros à Spiritu sancto Prophetis esse dictatos,
 & verba Prophetarum verba esse Spiritus sancti, non ex aliorum depromta libris, sed
 ab eodem profecta Spiritu, qui à diversis Prophetis res easdem denuntiari hominibus
 voluerit; ac idcirco temere nos facere, qui vetustiorum Prophetarum testimonia à
 novitiis usurpata statuamus. Jampridem hoc ipsum apud Origenem jactavit Africanus,
 velut arbitratus Prophetarum, Spiritus sancti nuntiorum ac praeconum, dignitati parum
 convenire, alienis dictis & sententiis uti. Quam perversam ei opinionem exemit Ori-
 genes, testimoniis ipsis Prophetarum in medium prolatis, quae palam extant in anti-
 quioribus: ac imprimis celebri illo, quod Michaeas ex Isaiae secundo capite in quar-
 tum suum transtulit. Fateor equidem vaticinia Prophetarum Dei oraculo esse edita;
 at Spiritum sanctum aio afflatus suos ad ingenium Prophetarum & hominum mores
 temperasse: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*; inquit Paulus; *& divisiones*
ministracionum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus
qui operatur omnia in omnibus. Optime Maimonides in eximio opere More Nevochim:
Scito unumquemque Prophetam peculiare quid habere; & ea lingua, eaque loquendi ratione,
quae ipsi est familiaris & consuea, impelli à Prophetia sua ad loquendum ei qui intelligit
ipsum. Isaiaem & Amosum idem afflavit Spiritus; disertus tamen est Isaia, rudis &

Kk ij

*Refelluntur
 argumenta
 Adversario-
 rum.
 Primum ar-
 gumentum.*

*Isa. 21, & seq.
 Mich. 4, 1, &
 seq.*

*Secundum
 argumentum.*

*Afr. in Epist.
 ad Origen.
 Orig. Epist. ad
 Afric.
 Isa. 2, 3, 4.
 Mich. 4, 1, &
 seq.*

*1. Cor. 12, 4;
 & seq.*

inconcinus Amosus: quemadmodum flatus uno ore emissus pro calamorum varietate varios sonos edit è fistula. Alioquin unus esset Scriptorum omnium sacrorum character, stilus unus, eadem oratio; quam tamen diversam esse observamus. Ergo afflatus ac inspirata ipsæ res, Spiritus sancti sunt; sermo ac verba, sunt Prophetarum, sic tamen inspirante & incitante Spiritu sancto loquentium: quæ verba proinde ab aliis fumere, & in proprios usus convertere potuerunt. Atque ea non à Scriptoribus solum sacris, sed & ab Ethnicis nonnunquam mutuati sunt; uti fecit Paulus, cum Arati, & Epimenidis sententias ac verba protulit. Verba hæc fuisse Spiritus sancti nemo dixerit: ut à Paulo autem citarentur, Spiritus sancti instinctu factum est. At veterum Auctorum sacrorum verba à recentioribus Auctoribus sacris recitata, & ut primum ederentur à vetustioribus, & ut deinde à recentioribus citarentur, Spiritus sanctus auctoritate & impulsu suo perfecit: fuerunt nihilominus Prophetarum verba, sed movente & instigante Spiritu sancto prolata.

Act. 17. 28.
Tit. 1. 12.

DE CANONE LIBRORUM SACRORUM.

I. Disputatur de Auctore & ætate Canonis Librorum sacrorum. Varia opiniones proponuntur. II. Unicus ante Christum editus fuisse videtur Canon, ab Esdra compositus, & Synagoga magne auctoritate comprobatus. III. Disputatur de Synagoga magna. IV. Probatur nostra sententia veterum Scriptorum auctoritate; V. deinde argumentis. VI. Disputatur utrum inscriptiones libris Prophetarum præfixæ, à Synagoga magna, an à Prophetis ipsis additæ sint. VII. Nehemias & Judas Machabeus Canonem recognoverunt & confirmaverunt; novum vero Ecclesia Christi edidit. VIII. Disputatur de Arca in qua reconditi fuisse feruntur Libri Canonici. IX. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. X. Secundum argumentum. XI. Tertium argumentum. XII. Quartum argumentum. XIII. Quintum argumentum.

Disputatur
de Auctore
& ætate Ca-
nonis Libro-
rum sacro-
rum. Varia
opinionis pro-
ponuntur.

Genebrard,
Chronol.

I. SUPERIORES omnes, quibus Librorum sacrorum *ἁγιόγραφα* probare conati sumus, disputationes, una de eorundem Canone disputatione continentur. Canonem dico, Librorum sacrorum collectionem ac catalogum, legitimo Synagoga, vel Ecclesie consensu determinatum ac comprobatum. Nam si Canonem Eudra temporibus conditum fuisse demonstravero, libros omnes in eum collatos Eudra vetustiores esse necesse est, quod ad præsens institutum est satis. Plurimum ergo refert hujus Canonis ætatem scrutari, quod pro rei momento ac dignitate satis accurate à nemine factum adhuc reperio. De Canone enim differunt omnes, hosque vel illos libros *νεκρωσις*, vel *ἀναγώνιστος* fuisse affirmant, huncque vel illum Canonis conditorem fuisse aiunt; qui vero legitimis id argumentationibus probaverit, quod equidem sciam, nemo homo est. Nos huic quaestioni, cum utili per sese, tum ad propositum opus valde opportuna paucis satisfaciamus. Ac non una primum de eo sententia est. Plures quidem Canonis auctorem Esdram agnoscunt, eum qui Librorum sacrorum instaurator & reparator habitus est. Synodo magne adscribit Genebrardus, quam Quintam appellat, cuique Esdram interfuisse ait: at præter Esdrinum hunc Canonem, alios inducit duos, alterum ab Hierosolymitana Synodo Sexta conflatum, quam de sacris Codicibus ad Ptolemæum Philadelphum mittendis, & Septuaginta Interpretibus Græce eos reddituris coactam fuisse vult: in eum autem Canonem connectos esse docet Libros sacros, qui post Quintam Synodum prodierant, puta Tobie ac Judith; Ecclesiasticum item & Sapientiam, quos per utriusque Synodi intervallum editos censet. Tertium demum Canonem existimat fuisse conditum in Septima Synodo, quam coisse arbitratur ad probandos Phariseos, quorum duces Sammai & Hillel; damnandos vero Sadoc & Barjetos, Sadducæorum antesignanos. Hujus porro Synodi decreto scribit fuisse confirmatam librorum Tobie & Judith, aliorumque auctoritatem, qui in antecedente Synodo fuerant cooptati in Canonem; in eumque tum primum adscriptos libros Machabæorum. Serarius, alique literati viri geminum tantum Canonem admittunt, priorem Esdrinum, in Synodo magna confectum; recentiorem alterum, in quem dedicati fuerint Libri reliqui, quos prior non continebat. Dispu-